An. et vol. LI 25 Septembris 1959 (Ser. III, v. I) - N. 12

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

SUMMARIUM

Acta Ioannis Pp. XXIII: Constitutiones Apostolicae, p. 609 - Litterae Apostolicae, p. 628 - Epistula, p. 636 - Nuntii radiophonici, 638.

Acta Pii Pp. XII: Litterae Apostolicae, p. 642.

Acta SS. Congregationum: *S. C. Consistorialis*: I Provisio Ecclesiarum, p. 646; II Nominatio, p. 647; III-V Decreta, p. 647 - *S. C. de Propaganda Fide*: I Provisio Ecclesiarum, p. 652; II Nominationes, p. 653; III-IV Decreta, p. 653.

Acta Tribunalium: *S. Paenitentiaria Apostolica*: I Preces Indulgentiis ditatae, p. 655; II Decretum de Indulgentiis, p. 656 - *Tribunal Vicariatus Urbis*: Citatio edictalis, p. 657.

Diarium Romanae Curiae: Udienza solenne, p. 658 - S. C. dei Riti: Congregazioni varie, p. 658 - Segreteria di Stato: Nomine e Onorificenze, p. 659, 667 - Necrologio, p. 672.

TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS

M · DCCCC · LIX

Directio:
Palazzo Apostolico — Città del Vaticano

Administratio:
Libreria Editrice Vaticana

Pretium annuae subnotationis:
In Italia, Lib. 2500 — extra Italiam, Lib. 3500 vel $ 7

Pretium unius fasciculi:
In Italia, Lib. 150 — extra Italiam, Lib. 250 vel $ 0,40

Libraria Vaticana subnotatoribus fasciculos Commentarii mittere potest etiam via aërea, charta indica impressos.

« *Bis fere in mense* (Commentarium) *prodibit ac quotiescumque vel necessitas vel utilitas id postulare videbitur* » (Ex *Commentarii Officialis* ratione, die 29 Octobris 1908 edita).

Spedizione in abbonamento postale - Gruppo III — C/C Post.I -16722

INDEX HUIUS FASCICULI

(An. LI, n. 12 - 25 Septembris 1959)

ACTA IOANNIS PP. XXIII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

PAG.

I. CAIAZEIRASENSIS - CAMPINENSIS GRANDIS (Patosensis). *Quandoquidem Deus.* - E Sedibus Caiazeirasensi atque Campinensi Grandi quaedam territoria detrahuntur, quae in novae dioecesis formam rediguntur, « Patosensis » appellandae. - 17 Ianuarii 1959 609

II. MINDONIENSIS (Ferrolensis). *Qui tamquam Petrus.* - Dioecesi Mindoniensi eiusque antistiti appellatio iungitur « Ferrolensis », cuius civitatis templum princeps ad dignitatem concathedralis evehitur. - 9 Martii 1959 612

III. TUDENSIS (Vicensis). *Quemadmodum impiger.* - Tudensi Ecclesiae titulus ac denominatio « Vicensis » iungitur: templum B. Mariae Virg. in civitate Vigo ad gradum concathedralis educitur. - 9 Martii 1959 614

IV. ORIOLENSIS (Lucentinae). *Illae catholicae.* - In Oriolensi dioecesi concathedralis aedes conditur, eidemque dioecesi « Lucentina » denominatio adiungitur. - 9 Martii 1959 . . 616

V. CALAGURITANAE ET CALCEATENSIS (Logrognensis). *Quandoquidem quaelibet.* - Dioecesi Calaguritanae et Calceatensi appellatio « Logrognensis » iungitur. Templum Beatae Mariae Virginis « de Redonda » in eadem urbe exstans ad dignitatem concathedralis evehitur. - 9 Martii 1959 618

VI. OXOMENSIS (Sorianae). *Quandoquidem animorum.* - Oxomensi dioecesi denominatio « Soriana » iungitur. Praeterea templum S. Petri Apostoli, ibidem exstans, ad concathedralis honorem evehitur. - 9 Martii 1959 . 620

VII. SEGUNTINAE (Guadalajarensis). *Cum laetissimo.* - Dioecesi Seguntinae appellatio « Guadalajarensis » iungitur. Templum B. Mariae Virg. in eadem urbe exstans ad dignitatem concathedralis evehitur. - 9 Martii 1959 622

VIII. OTURKPOËNSIS. *Sacrosancta Divini Magistri.* - Oturkpoënsis Praefectura Apostolica ad gradum dioecesis evehitur, nomine atque finibus servatis. - 2 Aprilis 1959 624

IX. DE SOLWEZI. *Quandoquidem haec.* - Quibusdam territoriis ab Apostolico Vicariatu de Ndola separatis, nova quaedam Praefectura Apostolica conditur, « de Solwezi » cognominanda. 9 Aprilis 1959 626

LITTERAE APOSTOLICAE

PAG.

I. *Haeret animis.* - Beata Maria Virgo, vulgo « Nossa Senhora da Piedade » appellata, praecipua caelestis Patrona civitatis « Minas Gerais » in Brasilia renuntiatur. - 20 Novembris 1958 628

II. *Opere nobilissimo.* - Indulgentiae plenariae et partiales Patriarchali Basilicae S. Marci Venetiis conceduntur. - 14 Ianuarii 1959 . . . 629

III. « *Caritatis unitas* ». - Confoederatio Congregationum Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini approbatur. - 4 Maii 1959 630

IV. *Salutiferos cruciatus.* - Regula et Constitutiones Congregationis Clericorum Excalceatorum Sanctissimae Crucis et Passionis Domini Nostri Iesu Christi adprobantur. - 1 Iulii 1959 634

EPISTULA

Catana, urbs. - Ad Emum P. D. Marcellum S. R. E. Card. Mimmi, Episcopum Sabinensem et Mandelensem, a Secretis Sacrae Congregationis Consistorialis, quem Legatum mittit ad eucharisticum conventum ex universa Italia Catanae agendum. - 2 Augusti 1959 636

NUNTII RADIOPHONICI

I. Christifidelibus Hondurensis Reipublicae, qui Sacratissimo Cordi Iesu et Cordi Immaculato B. Mariae Virg. se devoverunt. - 16 Augusti 1959 . 638

II. Marialium Congregationum sodalibus, qui Conventui II ex omnibus nationibus Novarci habito interfuerunt. - 20 Augusti 1959 639

ACTA PII PP. XII

LITTERAE APOSTOLICAE

I. *Quae materno.* - Beata Maria Virgo « de Perpetuo Succursu » praecipua caelestis Patrona Vicariatus Apostolici Samarindaënsis declaratur. - 18 Aprilis 1958 642

II. *Stat crux.* - Monasterium cum templo « S. Crucis de Valle Occasorum », ad Congregationem Solesmensem O. S. B. pertinens, Abbatiae nomine et iure donatur. - 27 Maii 1958 643

III. *Anno saeculari.* - Beata Maria Virgo sine labe originali concepta praecipua caelestis Patrona dioecesis Septemlacunensis constituitur. - 11 Septembris 1958 644

(*sequitur pag. III*)

An. et vol. LI 25 Septembris 1959 (Ser. III, v. I) - N. 12

ACTA APOSTOLICAE SEDIS

COMMENTARIUM OFFICIALE

ACTA IOANNIS PP. XXIII

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE

I

CAIAZEIRASENSIS-CAMPINENSIS GRANDIS (PATOSENSIS)

E SEDIBUS CAIAZEIRASENSI ATQUE CAMPINENSI GRANDI QUAEDAM TERRITORIA DETRAHUNTUR, QUAE IN NOVAE DIOECESIS FORMAM REDIGUNTUR, « PATOSENSIS » APPELLANDAE.

IOANNES EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quandoquidem Deus, ut est sapientissimus, redemptos homines per tormenta doloris Filii sui Iesu Christi maternis voluit Ecclesiae sanctae curis ad aeternam salutem perduci, ideo Nos, qui Dei consilio christianae societatis gubernacula tractamus, id sane studemus, inque hoc insistimus, ut videlicet Christi fidelibus aequiores fiant usque pietatis fovendae ac redemptionis fructuum percipiendorum condiciones. Quam ob rem, cum venerabilis Frater Armandus Lombardi, Archiepiscopus titulo Caesariensis Philippi et in Foederatis Brasiliae Civitatibus Apostolicus Nuntius, audita sententia venerabilium Fratrum Zachariae Rolim de Moura, Episcopi Caiazeirasensis, et Octavii Aguiar, Episcopi Campinensis Grandis, ab hac Apostolica Sede petierit ut in harum dioe-

cesium regione nova conderetur dioecesis, Nos, re bene reputata, post auditos venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales S. Congregationi Consistoriali praepositos, supplentes eorum consensum qui in negotio hoc ius aliquod se putent habere, de Nostra summa auctoritate haec quae sequuntur decernimus ac iubemus. A dioecesi Caiazeirasensi municipia separamus, quae vulgo Patos, Malta, Princesa Isabel, Santa Luzia, et São Mamede dicuntur; atque curias seu paroecias S. Antonii et S. Annae, in municipio Piancó exstantium; item a dioecesi Campinensi Grandi territoria distrahimus quibus nomina sunt: Taperoá et Teixeira, atque territorium districtus, ut dicunt, Junco do Seridó, ad municipium Santa Luzia pertinens. Quam universam regionem in novae dioecesis formam redigimus, *Patosensis* appellandae, iisdemque finibus terminandae, ac municipia et curiae e quibus fit, prouti nunc civili lege circumscribuntur. Caput novae dioecesis urbs Patos erit, ibique sacer Praesul domicilium collocabit; cathedram vero suae auctoritatis et doctrinae ibidem in templo figet quod populi sermone «Nossa Senhora da Guia» appellatur, quodque cathedrale, cum iustis honoribus, habebitur. Conditae Ecclesiae debita iura facimus, item eius Antistiti; cui tamen onera episcopalis officii imponimus. Inter ea vero hoc memorare placet: esse eum scilicet Parahybensi metropolitae una cum sua Ecclesia subiectum et suffraganeum. Censemus praeterea ut in nova circumscriptione Canonicorum Collegium constituatur, qui sive splendorem caerimoniarum augeant, sive sacro Praesuli consiliis praesto sint; quamdiu id fieri non possit, sinimus ut eorum loco Consultores dioecesani eligantur, qui tamen a suo munere cessabunt Canonicis constitutis. Similiter iubemus, Episcopoque grave onus imponimus, ut Seminarium saltem elementarium construat, pueris excipiendis qui ad sacerdotium Dei voce invitentur: sunt enim spes omnis Ecclesiae. Quod ad normam iuris communis fiat atque regulas a S. Congregatione de Seminariis et Studiorum Universitatibus latas. Mensam episcopalem efficient: fidelium collationes, Curiae fructus, congrua bonorum pars, quae iuxta canonem 1500 C. I. C. novae Sedi obvenient. Praecipimus insuper ut cum dioecesis constituta fuerit, sacerdotes qui beneficio aut officio in eius territorio fruantur, ei annumerati sint tamquam proprius clerus; ceteri vero ei Sedi ascribantur, in qua legitime degant. Ad regimen, administrationem quod attinet, item ad Vicarii Capitularis electionem cum Sedes vacaverit aliaque huiusmodi, ea serventur, quae iure Canonico statuuntur. Documenta denique et acta, quae ad dioecesim Patosensem respiciunt, ad eius Curiam episcopalem cito mittantur, in tabulario rerum religiosarum magna cura asservanda. Ce-

terum, haec omnia venerabilis Frater Armandus Lombardi, quem memoravimus, exsequetur, qui poterit quemlibet virum delegare, factis ad id facultatibus necessariis. Qui vero rem gesserit, is acta et documenta exarari iubebit, quarum exempla sincere conscripta ad S. Congregationem Consistorialem mitti curabit. Quod si eo tempore alius quilibet eidem Nuntiaturae in Brasilia praesit, hic mandata Nostra faciet.

Has vero Litteras nunc et in posterum efficaces esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eas decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Quarum Litterarum efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per has Litteras iisdem derogemus omnibus. Quapropter si quis, quavis praeditus auctoritate, sive sciens sive insciens contra egerit ac Nos ediximus, id prorsus irritum atque inane haberi iubemus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo harum Litterarum exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae hisce haberetur, si ostenderentur. Quae Nostra decreta in universum si quis vel spreverit vel quoquo modo detrectaverit, sciat se poenas esse subiturum iis iure statutas, qui Summorum Pontificum iussa non fecerint.

Datum Roma, apud S. Petrum, die decimo septimo mensis Ianuarii, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo nono, Pontificatus Nostri primo.

Pro S. R. E. Cancellario
DOMINICUS Card. TARDINI
a publicis Ecclesiae negotiis

✠ MARCELLUS Card. MIMMI
S. Congr. Consistorialis a Secretis

Hamletus Tondini
Apostolicam Cancellariam Regens

Albertus Serafini, *Proton. Apost.*
Caesar Federici, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

In Ap. Canc. tab., vol. XCIX, n. 94.

II

MINDONIENSIS
(FERROLENSIS)

DIOECESI MINDONIENSI EIUSQUE ANTISTITI APPELLATIO IUNGITUR « FERROLENSIS », CUIUS CIVITATIS TEMPLUM PRINCEPS AD DIGNITATEM CONCATHEDRALIS EVEHITUR.

IOANNES EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Qui tamquam Petrus, Apostolorum Princeps, ad regendum populum christianum eumque incommutabili veritate pascendum vocati sumus, non solum summa contentione studemus ut, singularum gentium necessitatibus servientes, novas circumscriptiones constituamus, verum etiam ut conditas Ecclesias, cum temporum condiciones id exigunt, ita immutemus ut spes certa sit christifidelibus maiora usque augendae religionis commoda esse oritura. Cum igitur venerabilis Frater Hildebrandus Antoniutti, Archiepiscopus titulo Synnadensis in Phrygia et in Hispania Apostolicus Nuntius, rite servatis sollemnibus Conventionibus die septimo et vicesimo mensis Augusti anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo tertio inter S. Sedem et Hispaniam initis, postulaverit ut nomini dioecesis Mindoniensis appellatio «Ferrolensis» adiungeretur: eam enim urbem hac nostra aetate omnis generis incrementa cepisse; simulque ut templum S. Iuliani, in eadem civitate, ad concathedralis dignitatem eveheretur, Nos, censentes id in bonum eius dioecesis recidere posse, admotis precibus concedendum esse arbitramur. Audito ergo venerabili Fratre Hyacintho Argaya Goicoechea, Episcopo Mindoniensi, consensum eorum supplentes qui in hac re aliquod ius habeant, de Nostra summa et apostolica auctoritate haec, quae sequuntur, decernimus et iubemus. Ecclesiae Mindoniensi eiusque sacrorum Antistiti Ordinario titulum ac denominationem iungimus « *Ferrolensem* », ita ut in posterum utraque appellatione cumulate indicentur. Statuimus praeterea ut, servata dioecesis Mindoniensis cathedrae episcopalis dignitate, templum S. Iuliani, in urbe Ferrol del Caudillo exstans, ad dignitatem concathedralis extollatur, cum debitis honoribus; in qua sacra aede poterunt Canonici ac Beneficiarii, qui eo loci muneris causa versentur, officia eorum propria optimo iure facere ac tueri. Item

censemus ut Episcopus Mindoniensis-Ferrolensis possit in hac urbe pro sua prudentia commorare, negotiorum suae Ecclesiae explicandorum causa. Ceterum has Litteras Nostras ad exitum adducet venerabilis Frater Hildebrandus Antoniutti vel quem ipse delegaverit, factis ad id necessariis potestatibus. Cum autem res acta fuerit, idem documenta exarari curabit, quorum exempla sincere conscripta ad S. Congregationem Consistorialem cito mittet. Si vero fiat ut eo tempore alius eidem Nuntiaturae Apostolicae in Hispania praesit, huic idem onus iniungimus, facultatesque facimus.

Has vero Litteras nunc et in posterum efficaces esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eas decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Quarum Litterarum efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per has Litteras iisdem derogemus omnibus. Quapropter si quis, quavis praeditus auctoritate, sive sciens sive insciens contra egerit ac Nos ediximus, id prorsus irritum atque inane haberi iubemus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo harum Litterarum exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae hisce haberetur, si ostenderentur. Quae Nostra decreta in universum si quis vel spreverit vel quoquo modo detrectaverit, sciat se poenas esse subiturum iis iure statutas, qui Summorum Pontificum iussa non fecerint.

Datum Roma, apud S. Petrum, die nono mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo nono, Pontificatus Nostri primo.

IACOBUS A. Card. COPELLO
S. R. E. Cancellarius

✠ MARCELLUS Card. MIMMI
S. Congr. Consistorialis a Secretis

Hamletus Tondini
Apostolicam Cancellariam Regens

Franciscus H. Ferretti, *Proton. Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

In Ap. Canc. Tab., Vol. C, n. 45

III

TUDENSIS
(VICENSIS)

TUDENSI ECCLESIAE TITULUS AC DENOMINATIO « VICENSIS » IUNGITUR; TEMPLUM B. MARIAE VIRG. IN CIVITATE VIGO AD GRADUM CONCATHEDRALIS EDUCITUR.

IOANNES EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quemadmodum impiger providusque agricola, cui ager summae curae est, nihil inexpertum omittit ut ea quae sunt infecunda reddat feracia, quae vero fecunda faciat feraciora; ita et Nos, qui divini Numinis voluntate in Patrisque Caelestis similitudinem [1] agrum dominicum, quae est Ecclesia, pene in infinitum patentem, custodiendum suscepimus, summa industria annitimur ut per idoneam quoque rerum dispositionem ea fiat singularum Ecclesiarum condicio ut fructus usque laetiores sanctitatis atque bonorum operum edant. Quam ob rem, cum venerabilis Frater Hildebrandus Antoniutti, Archiepiscopus titulo Synnadensis in Phrygia, idemque in Hispania Apostolicus Nuntius, rite servatis sollemnibus Conventionibus die vicesimo septimo mensis Augusti initis inter S. Sedem et Hispanicam Nationem anno millesimo nongentesimo quinquagesimo tertio, ab hac Romana Sede postulaverit ut dioecesi Tudensi titulus « Vicensis » annecteretur, simulque ut templum B. M. V. in civitate, quae populari sermone Vigo cognominatur, exstans ad dignitatem concathedralis eveheretur, Nos id rati posse in bonum dioecesis recidere, admotis precibus concedendum esse censemus. Quae cum ita sint, postquam venerabilem Fratrem Iosephum López Ortiz, Episcopum Tudensem, sententiam rogavimus, de Nostra summa et apostolica auctoritate, ea quae sequuntur decernimus et iubemus. Episcopali Ecclesiae Tudensi eiusque Praesuli Ordinario titulum ac denominationem *Vicensis* in perpetuum iungimus, ita ut in posterum iidem utraque appellatione cumulate indicentur; templum, praeterea, B. Mariae Virg. dicatum, in urbe Vigo, ad gradum concathedralis tollimus, cum debitis privilegiis.

[1] Io. 15, 1.

Poterit igitur sacer Antistes Tudensis-Vicensis in hac eadem civitate, cum ei videbitur, commorari, ibique sacra facere; item Canonicis plane licebit in concathedrali templo officia propria exsequi, si ibi loci munerum suorum causa versentur. Ceterum haec Nostra iussa venerabilis Frater Hildebrandus Antoniutti ad rem perduci curabit, vel quem ipse delegaverit, dummodo virum in ecclesiastica dignitate constitutum; in quod omnes potestates facimus. Cum vero negotium peregerit, documenta exarari studebit, quorum exempla, sincere conscripta, ad S. Congregationem Consistorialem cito mittet. Quod si alius eo tempore eidem Nuntiaturae Apostolicae praesit, hic ea quae mandavimus rite explebit.

Has vero Litteras nunc et in posterum efficaces esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eas decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Quarum Litterarum efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per has Litteras iisdem derogemus omnibus. Quapropter si quis, quavis praeditus auctoritate, sive sciens sive insciens contra egerit ac Nos ediximus, id prorsus irritum atque inane haberi iubemus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo harum Litterarum exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae hisce haberetur, si ostenderentur. Quae Nostra decreta in universum si quis vel spreverit vel quoquo modo detrectaverit, sciat se poenas esse subiturum iis iure statutas, qui Summorum Pontificum iussa non fecerint.

Datum Roma, apud S. Petrum, die nono mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo nono, Pontificatus Nostri primo.

IACOBUS A. Card. COPELLO
S. R. E. Cancellarius

✠ MARCELLUS Card. MIMMI
S. Congr. Consistorialis a Secretis

Hamletus Tondini
Apostolicam Cancellariam Regens

Franciscus H. Ferretti, *Proton. Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

In Ap. Canc. Tab., Vol. C, n. 63

IV

ORIOLENSIS
(LUCENTINAE)

IN ORIOLENSI DIOECESI CONCATHEDRALIS AEDES CONDITUR, EIDEMQUE DIOECESI « LUCENTINA » DENOMINATIO ADIUNGITUR.

IOANNES EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Illae catholicae Ecclesiae urbes, quae ob civium praesertim religiosa incepta longo iam tempore nitent, dignae sane sunt quae celebrentur, iustis tributis honoribus, privilegiis et iuribus factis: quod quidem in maiorem Dei gloriam verti et uberiores inde christianae vitae fructus percipi posse nemo est qui dubitet. Hac igitur de re, cum venerabilis Frater Hildebrandus Antoniutti, Archiepiscopus titulo Synnadensis in Phrygia et in Hispania Apostolicus Nuntius, enixe a Nobis petivisset ut perillustri urbi Lucento concathedralis aedes daretur, atque cathedrali Sedi Oriolensi appellatio « Lucentina » iungeretur, optimum idem Nos opportunumque esse censentes, post auditum venerabilem Fratrem Paulum Barrachina Estevan, Episcopum Oriolensem, et eorum suppletum consensum, qui in hoc negotio aliquod ius habeant vel se putent habere, riteque servatis sollemnibus Conventionibus die XXVII mensis Augusti anno MCMLIII inter Sanctam Sedem et Hispanicam Nationem initis, de apostolica Nostra potestate ea, quae sequuntur, decernimus et iubemus. Oriolensis Ecclesiae nomini appellationem adiungimus *Lucentinam,* ita ut sive dioecesis sive eius Episcopus in posterum utraque cumulate denominatione Oriolensi-Lucentina appellentur. Servata praeterea dioecesis Oriolensis cathedrae episcopalis dignitate, templum Deo in honorem S. Nicolai Ep. et Conf. sacrum in urbe Lucento exstans ad gradum concathedralis evehimus, cum iuribus et honoribus, oneribus et obligationibus huiusmodi sacrarum aedium propriis. Simul Episcopo Oriolensi ius facimus in eadem urbe, quotiens libuerit, commorandi; item Canonicis et Beneficiariis collegii Oriolensis, qui ibidem muneris causa versantur, concedimus ut propria Canonicorum officia in concathedrali templo facere ac tueri possint. Ceterum haec omnia, quae mandavimus, exsequenda studebit venerabilis Frater in Hispania Apostolicus Nuntius, quem diximus,

facta potestate quemlibet delegandi ad hoc officium peragendum, dummodo ecclesiastica dignitate praeditum. Cum vero res acta fuerit, idem documenta exarari faciet, quorum exempla sincere scripta ad S. Congregationem Consistorialem quam primum mittet. Quod si eo tempore alius Apostolicae Nuntiaturae in Hispanica Natione praesit, hic iussa Nostra faciet.

Has vero Litteras nunc et in posterum efficaces esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eas decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Quarum Litterarum efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per has Litteras iisdem derogemus omnibus. Quapropter si quis, quavis praeditus auctoritate, sive sciens sive insciens contra egerit ac Nos ediximus, id prorsus irritum atque inane haberi iubemus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo harum Litterarum exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae hisce haberetur, si ostenderentur. Quae Nostra decreta in universum si quis vel spreverit vel quoquo modo detrectaverit, sciat se poenas esse subiturum iis iure statutas, qui Summorum Pontificum iussa non fecerint.

Datum Roma, apud S. Petrum, die nono mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo nono, Pontificatus Nostri primo.

IACOBUS A. Card. COPELLO
S. R. E. Cancellarius

✠ MARCELLUS Card. MIMMI
S. Congr. Consistorialis a Secretis

Hamletus Tondini
Apostolicam Cancellariam Regens

Franciscus H. Ferretti, *Proton. Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

In Ap. Canc. Tab., Vol. C, n. 53

V

CALAGURITANAE ET CALCEATENSIS (LOGROGNENSIS)

DIOECESI CALAGURITANAE ET CALCEATENSI APPELLATIO « LOGROGNENSIS » IUNGITUR. TEMPLUM BEATAE MARIAE VIRGINIS « DE REDONDA » IN EADEM URBE EXSTANS AD DIGNITATEM CONCATHEDRALIS EVEHITUR.

IOANNES EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quandoquidem quaelibet Ecclesia in id constituitur ut fidelium greges per Episcoporum curas, labores atque sollicitudines, divinae redemptionis fructibus perceptis, facilius ad aeterna limina iter suum dirigere possint, idcirco haec Apostolica et Romana Sedes annititur ut Sedium episcopalium ordinatio atque dispositio in dies aequior evadat. Quam ob rem, cum venerabilis Frater Hildebrandus Antoniutti, Archiepiscopus titulo Synnadensis idemque in Hispania Apostolicus Nuntius, sollemnibus Conventionibus servatis, quae inter S. Sedem et Hispanicam Nationem die XXVII mensis Augusti anno millesimo nongentesimo quinquagesimo tertio inita sunt, ab hac Petri Sede petierit ut Calaguritanae et Calceatensis dioecesis denominationi *Logrognensis* appellatio iungeretur, templumque princeps civitatis Logroño concathedrale renuntiaretur: florere enim eam urbem incolis, industriis, loci opportunitate; Nos allatas causas aequas existimantes, expostulationi huiusmodi accedendum esse arbitramur. Quapropter, sententia audita venerabilis Fratris Abilii del Campo et de la Bárcena, Episcopi Calaguritani et Calceatensis, eorum consensum supplentes, qui in hac re aliquod ius habeant, de Nostra apostolica auctoritate haec quae sequuntur decernimus et iubemus. Calaguritanae et Calceatensis Ecclesiae nomini appellationem adiungimus *Logrognensem,* ita ut sive dioecesis sive eius Episcopus in posterum utraque cumulate denominatione appellentur. Servata, praeterea, dioecesis Calaguritanae et Calceatensis cathedrae episcopalis dignitate, templum B. Mariae Virginis « de Redonda » in urbe Logroño ad dignitatem concathedralis evehimus, cum iuribus et honoribus, oneribus et obligationibus huiusmodi sacrarum aedium propriis. Simul Episcopo Calaguritano et Calceatensi ius facimus in urbe Logroño, quotiens

libuerit, commorandi; item Canonicis et Beneficiariis Collegii Calaguritani et Calceatensis, qui in Logroño muneris causa versantur, concedimus ut Canonicorum officia in concathedrali templo facere ac tueri possint. Ceterum, haec omnia quae mandavimus exsequi studebit venerabilis Frater Hildebrandus Antoniutti, cuius memoriam fecimus, facta potestate quemlibet delegandi ad hoc negotium peragendum, dummodo ecclesiastica dignitate praeditum. Cum vero res acta fuerit, idem documenta exarari faciet, quorum exempla sincere scripta ad S. Congregationem Consistorialem cito mittet. Quod si eo tempore alius Apostolicae Nuntiaturae in Hispania praesit, hic iussa Nostra faciet.

Has vero Litteras nunc et in posterum efficaces esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eas decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Quarum Litterarum efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per has Litteras iisdem derogemus omnibus. Quapropter si quis, quavis praeditus auctoritate, sive sciens sive insciens contra egerit ac Nos ediximus, id prorsus irritum atque inane haberi iubemus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo harum Litterarum exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae hisce haberetur, si ostenderentur. Quae Nostra decreta in universum si quis vel spreverit vel quoquo modo detrectaverit, sciat se poenas esse subiturum iis iure statutas, qui Summorum Pontificum iussa non fecerint.

Datum Roma, apud S. Petrum, die nono mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo nono, Pontificatus Nostri primo.

Pro S. R. E. Cancellario
DOMINICUS Card. TARDINI
a publicis Ecclesiae negotiis

✠ MARCELLUS Card. MIMMI
S. Congr. Consistorialis a Secretis

Hamletus Tondini
Apostolicam Cancellariam Regens

Bernardus De Felicis, *Proton. Apost.*
Caesar Federici, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

In Ap. Canc. tab., vol. C, n. 38.

VI

OXOMENSIS

(SORIANAE)

OXOMENSI DIOECESI DENOMINATIO « SORIANA » IUNGITUR. PRAETEREA TEMPLUM S. PETRI APOSTOLI, IBIDEM EXSTANS, AD CONCATHEDRALIS HONOREM EVEHITUR.

IOANNES EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quandoquidem animorum bonum hominumque salus, quibus redimendis Christus, adorandus Dei Filius, e caelorum maiestate in terras descendit, in summis Ecclesiae consiliis est, ideo Nos, qui eandem divina voluntate administrandam suscepimus, non abnuimus, temporibus servientes, nonnihil de dioecesium institutis immutare, si certior sit spes gregis salutem fieri usque tutiorem. Quam ob rem, cum venerabilis Frater Hildebrandus Antoniutti, Archiepiscopus titulo Synnadensis in Phrygia, idemque in Hispania Apostolicus Nuntius, rite servatis sollemnibus Conventionibus die vicesimo septimo mensis Augusti anno millesimo nongentesimo quinquagesimo tertio inter S. Sedem et Hispanicam Nationem initis, ab hac Apostolica Sede petierit ut Ecclesiae Oxomensi denominatio « Soriana » annecteretur: magna enim urbem Soriam, hac praesertim aetate, incrementa cepisse; atque templum ibidem exstans S. Petro Apostolo dicatum ad dignitatem concathedralis eveheretur, Nos, audito venerabili Fratre Saturnino Rubio et Montiel, Episcopo Oxomensi, de Nostra summa et apostolica auctoritate ea quae sequuntur statuimus ac iubemus. Episcopali Ecclesiae Oxomensi titulum ac denominationem *Sorianae* iungimus; item eius sacro Praesuli, ita ut in posterum utraque appellatione cumulate iidem indicentur. Servata, praeterea, dioecesis Oxomensis cathedrae episcopalis dignitate, templum S. Petri Apostoli quod est in urbe Soria, in ordinem concathedralium aedium redigimus, factis iuribus, honoribus, privilegiis congruis, impositis oneribus. Poterunt ergo sive Episcopus Oxomensis-Sorianus, quotiens videbitur, in urbe Soria commorari, sive Canonici ac Beneficiarii eiusdem dioecesis officia Canonicorum propria in templo concathedrali facere, cum muneris causa in hac civitate versabuntur.

Ceterum, quae per has sub plumbo Litteras praecepimus, venerabilis Frater Apostolicus Nuntius in Hispania exsequi studebit, sive per se ipse sive per alium, dummodo virum in ecclesiastica dignitate constitutum; factis scilicet ad id necessariis potestatibus. Cum vero res acta fuerit, idem documenta exarari iubebit, quorum sincera exempla ad S. Congregationem Consistorialem cito mittet. Quodsi eo tempore alius eidem praesit Nuntiaturae, hic iussa Nostra faciet.

Has vero Litteras nunc et in posterum efficaces esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eas decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Quarum Litterarum efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per has Litteras iisdem derogemus omnibus. Quapropter si quis, quavis praeditus auctoritate, sive sciens sive insciens contra egerit ac Nos ediximus, id prorsus irritum atque inane haberi iubemus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo harum Litterarum exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae hisce haberetur, si ostenderentur. Quae Nostra decreta in universum si quis vel spreverit vel quoquo modo detrectaverit, sciat se poenas esse subiturum iis iure statutas, qui Summorum Pontificum iussa non fecerint.

Datum Roma, apud S. Petrum, die nono mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo nono, Pontificatus Nostri primo.

IACOBUS A. Card. COPELLO
S. R. E. Cancellarius

✠ MARCELLUS Card. MIMMI
S. Congr. Consistorialis a Secretis

Hamletus Tondini
Apostolicam Cancellariam Regens

Bernardus De Felicis, *Proton. Apost.*
Caesar Federici, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

In Ap. Canc. Tab., Vol. C, n. 61

VII

SEGUNTINAE
(GUADALAJARENSIS)

DIOECESI SEGUNTINAE APPELLATIO « GUADALAJARENSIS » IUNGITUR. TEMPLUM B. MARIAE VIRG. IN EADEM URBE EXSTANS AD DIGNITATEM CONCATHEDRALIS EVEHITUR.

IOANNES EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Cum laetissimo animo acceperimus maxima in Seguntinae dioecesis urbe, quam Guadalajara appellant, christianam rem incrementa cepisse ob fidelium numerum eorumque industriam et incepta, cumque venerabili Fratri Hildebrando Antoniutti, Archiepiscopo titulo Synnadensi in Phrygia et in Hispania Apostolico Nuntio, visum sit maiore cum animorum bono coniungi si eidem urbi eidemque christiano populo Ecclesia concathedralis concederetur, idque a Nobis enixe petierit, optimum idem Nos opportunumque esse censentes, postquam audivimus quid sentiret venerabilis Frater Laurentius Bereciartúa Balerdi, Episcopus Seguntinus, et eorum suppleto consensu, qui in hoc negotio aliquod ius habeant vel se putent habere, rite quidem servatis sollemnibus Conventionibus die XXVII mensis Augusti anno MCMLIII inter Sanctam Sedem et Hispanicam Nationem initis, de apostolica Nostra potestate ea, quae sequuntur, decernimus et iubemus. Seguntinae Ecclesiae nomini appellationem adiungimus *Guadalajarensis,* ita ut sive dioecesis sive eius Episcopus in posterum utraque cumulate denominatione appellentur. Servata, praeterea, dioecesis Seguntinae cathedrae episcopalis dignitate, templum B. Mariae Virg. in urbe Guadalajara exstans ad gradum concathedralis evehimus, cum iuribus et honoribus, oneribus et obligationibus huiusmodi sacrarum aedium propriis. Simul Episcopo Seguntino ius facimus in eadem urbe, quotiens libuerit, commorandi; item Canonicis et Beneficiariis Collegii Seguntini, qui in Guadalajarensi urbe muneris causa versantur, concedimus ut propria Canonicorum officia in concathedrali templo facere ac tueri possint. Ceterum, haec omnia quae mandavimus exsequenda studebit venerabilis Frater Hildebrandus Antoniutti, quem diximus, facta potestate quemlibet de-

legandi ad hoc negotium peragendum, dummodo ecclesiastica dignitate praeditum. Cum vero res acta fuerit, idem documenta exarari faciet, quorum exempla sincere scripta ad S. Congregationem Consistorialem quam primum mittet. Quod si eo tempore alius Apostolicae Nuntiaturae in Hispania praesit, hic iussa Nostra faciet.

Has vero Litteras nunc et in posterum efficaces esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eas decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Quarum Litterarum efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per has Litteras iisdem derogemus omnibus. Quapropter si quis, quavis praeditus auctoritate, sive sciens sive insciens contra egerit ac Nos ediximus, id prorsus irritum atque inane haberi iubemus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo harum Litterarum exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae hisce haberetur, si ostenderentur. Quae Nostra decreta in universum si quis vel spreverit vel quoquo modo detrectaverit, sciat se poenas esse subiturum iis iure statutas, qui Summorum Pontificum iussa non fecerint.

Datum Roma, apud S. Petrum, die nono mensis Martii, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo nono, Pontificatus Nostri Primo.

Pro S. R. E. Cancellario
DOMINICUS Card. TARDINI
a publicis Ecclesiae negotiis

✠ MARCELLUS Card. MIMMI
S. Congr. Consistorialis a Secretis

Hamletus Tondini
Apostolicam Cancellariam Regens

Franciscus H. Ferretti, *Proton. Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

In Ap. Canc. tab., vol. C, n. 40.

VIII

OTURKPOËNSIS

OTURKPOËNSIS PRAEFECTURA APOSTOLICA AD GRADUM DIOECESIS EVEHITUR, NOMINE ATQUE FINIBUS SERVATIS.

IOANNES EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Sacrosancta Divini Magistri verba: « Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae »,[1] non modo Nos impellunt ut fecunda religionis semina in omnes gentes et nationes spargamus, verum etiam ut singulas Ecclesias ita constituamus et disponamus ut cum facilior fiat usus christianae virtutis credentibus, tum suscipiendae veritatis iis, quos nondum splendida fidei nostrae lux collustraverit, facultas. Quam ob rem, cum dilectus Filius Vedastus Mojaisky Perrelli, Apostolicus in Africa Orientali et Occidentali Britannica Delegatus, proposuerit ut praefectura apostolica Oturkpoënsis, in territorio Nigeriae sita, in ordinem dioecesium redigeretur, Nos, id censentes valde christiano nomini propagando profuturum, post rem bene reputatam, atque venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales S. Congregationi Fidei Propagandae praepositos sententiam rogatos, huiusmodi expostulationibus concedendum esse arbitramur. De Nostra igitur apostolica auctoritate ea quae sequuntur decernimus et iubemus. Apostolicam praefecturam Oturkpoënsem in formam *dioecesis* redigimus, eodem nomine iisdemque limitibus; quam ad Nostrum et apostolicae Sedis nutum Sodalibus Congregationis Sancti Spiritus sub tutela Immaculati Cordis Beatissimae Virginis Mariae concredimus, ea spe ut, qui adhuc bene de Ecclesia sancta meriti sunt, etiam in posterum pro animorum salute dura certamina ineant. Nova dioecesis metropolitanae Ecclesiae Onitshaënsi subiecta tamquam suffraganea erit, omnibusque iuribus fruetur oneraque habebit quae sunt talium circumscriptionum ecclesiasticarum propria. Curet Episcopus cui credetur administranda ut Seminarium saltem elementarium struat, pueris excipiendis ad sacerdotum munus a Spiritu Sancto vocatis, item Canonicorum Collegium condat; quod si in praesens impossibile evadat, Consultores dioecesani deligantur, qui Episcopo consilio et opera assint, a suo munere tamen cessaturi, cum

[1] Mr. 16, 15.

Collegium creatum fuerit. Mensam episcopalem efficient: populi collationes; curiae proventus; bona, si qua sunt, quae ad praefecturam apostolicam pertinebant; pecunia quam solet S. Congregatio de Propaganda Fide mittere. Sedes Ecclesiae et Episcopi domicilium urbs Oturkpo erit, cathedram vero sacer Praesul collocabit in templo quod est in ea civitate princeps. Ceterum volumus ut haec Nostra decreta exsequenda curet dilectus Filius in Africa Orientali et Occidentali Britannica Delegatus, vel quem ipse designaverit, dummodo virum in ecclesiastica dignitate constitutum, factis ad id potestatibus necessariis. Idem vero, re acta, documenta exarari faciet, eademque sinceris exemplis ad S. Congregationem Fidei Propagandae cito mittet. Quod si alius eo tempore Delegationi eidem praesit, huic mandatum damus eadem peragendi.

Has vero Litteras nunc et in posterum efficaces esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eas decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Quarum Litterarum efficacitati nulla, cuiusvis generis contraria praescripta officere poterunt, cum per has Litteras iisdem derogemus omnibus. Quapropter si quis, quavis praeditus auctoritate, sive sciens sive insciens contra egerit ac Nos ediximus, id prorsus irritum atque inane haberi iubemus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo harum Litterarum exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae hisce haberetur, si ostenderentur. Quae Nostra decreta in universum si quis vel spreverit vel quoquo modo detrectaverit, sciat se poenas esse subiturum iis iure statutas, qui Summorum Pontificum iussa non fecerint.

Datum Roma, apud S. Petrum, die altero mensis Aprilis, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo nono, Pontificatus Nostri primo.

Pro S. R. E. Cancellario
DOMINICUS Card. TARDINI
a publicis Ecclesiae negotiis

PETRUS Card. FUMASONI BIONDI
S. C. de Prop. Fide Praefectus

Hamletus Tondini
Apostolicam Cancellariam Regens

Franciscus H. Ferretti, *Proton. Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

In Ap. Canc. Tab., Vol. C, n. 42

IX

DE SOLWEZI

QUIBUSDAM TERRITORIIS AB APOSTOLICO VICARIATU DE NDOLA SEPARATIS, NOVA QUAEDAM PRAEFECTURA APOSTOLICA CONDITUR, « DE SOLWEZI » COGNOMINANDA.

IOANNES EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM

Quandoquidem haec est vita aeterna ut cognoscant gentes Deum et quem ipse misit Filium suum, ideo Nos, qui arcano summi Numinis consilio et voluntate universi christiani populi gubernandi munus accepimus, id omni ope contendimus ut quam aptissime singularum Ecclesiarum finibus descriptis, aequior fiat omnibus alendae fidei augendaeque religionis facultas. Quapropter, cum a dilecto Filio Vedasto Mojaisky-Perrelli, Apostolico in Africa Orientali et Occidentali Britannica Delegato, propositum sit ut in ea Africae regione nova praefectura apostolica conderetur, Nos, id rati bene ac fructuose fieri, post auditam sententiam venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium S. Congregationi Fidei Propagandae praepositorum, eorum consensum supplentes, qui in hac re aliquod ius habeant, de Nostra apostolica auctoritate ea quae sequuntur decernimus et iubemus. Ab apostolico Vicariatu de Ndola districtus, quos dicunt, vulgari sermone Solwezi, Kasempa, Mwinilunga et Kabongo cognominatos, excepta tamen parte huius districtus, quae extra fines Vicariatus de Ndola sita est, separamus; quibus regionibus novam praefecturam apostolicam efficimus, ab urbe principe *de Solwezi* appellandam atque ad nutum Nostrum et Apostolicae Sedis Sodalibus ex Ordine Fratrum Minorum Conventualium concredendam. Quos hortamur ut nulli parcant labori neque curae, animis quaerendis in Ecclesiaeque saepta perducendis. Hanc autem praefecturam, uti congruum, iuribus debitis instruimus cum honoribus et privilegiis; simulque sacrum Praesulem, quem scilicet volumus etiam oneribus teneri. Ceterum volumus ut haec Nostra decreta dilectus Filius Noster Vedastus Mojaisky-Perrelli, quem diximus, exsequenda curet, cui omnes ea omnia peragendi potestates damus, sive per se ipse sive per alium, dummodo virum in ecclesiastica dignitate constitutum. Cum vero res

acta fuerit, idem documenta exarari faciet, quorum sincera exempla ad S. Congregationem Fidei Propagandae cito mittet. Quod si eo tempore quo decreta haec ad exitum deducentur, alius eidem Delegationi Apostolicae praesit, hic eadem faciet.

Has vero Litteras nunc et in posterum efficaces esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eas decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Quarum Litterarum efficacitati nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per has Litteras iisdem derogemus omnibus. Quapropter si quis, quavis praeditus auctoritate, sive sciens sive insciens contra egerit ac Nos ediximus, id prorsus irritum atque inane haberi iubemus. Nemini praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo harum Litterarum exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae hisce haberetur, si ostenderentur. Quae Nostra decreta in universum si quis vel spreverit vel quoquo modo detrectaverit, sciat se poenas esse subiturum iis iure statutas, qui Summorum Pontificum iussa non fecerint.

Datum Roma, apud S. Petrum, die nono mensis Aprilis, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo nono, Pontificatus Nostri primo.

Pro S. R. E. Cancellario
DOMINICUS Card. TARDINI
a publicis Ecclesiae negotiis

PETRUS Card. FUMASONI BIONDI
S. C. de Prop. Fide Praefectus

Hamletus Tondini
Apostolicam Cancellariam Regens

Franciscus H. Ferretti, *Proton. Apost.*
Albertus Serafini, *Proton. Apost.*

Loco ✠ Plumbi

In Ap. Canc. Tab., Vol. C, n. 48

LITTERAE APOSTOLICAE

I

BEATA MARIA VIRGO, VULGO « NOSSA SENHORA DA PIEDADE » APPELLATA, PRAECIPUA CAELESTIS PATRONA CIVITATIS « MINAS GERAIS » IN BRASILIA RENUNTIATUR.

IOANNES PP. XXIII

Ad perpetuam rei memoriam. — Haeret animis Christifidelium, qui in finibus Civitatis Brasiliensis, cui vulgata appellatio « Minas Gerais », incolunt, multum iam tempus, ut accepimus, cultus Beatae Mariae Virginis a pietate seu, quemadmodum vocant, « Nossa Senhora da Piedade ». Eius honori plura ibi exstructa sunt templa, quae inter antiquitate et populi frequentia religiosissima est Aedes Deiparae hoc nomine invocatae sacra, quae in loco « Serra da Piedade », non ita procul ab urbe Bellohorizonte, exsurgit. Est quoque commemorandum plura oppida pluresque urbes, in quibus peculiaris haec religio obtinuisset, a « pietate » accepisse nomen. Ut igitur hic cultus amplioribus etiam augesceret incrementis et Christifideles ea degentes in regione praesenti Almae Deiparae praesidio iugiter uterentur, Venerabiles Fratres Helvetius Gomes de Oliveira, Marianensis Archiepiscopus, Iosephus Newton de Almeida Batista, Adamantinus Archiepiscopus, et Ioannes Rezende Costa, Archiepiscopus titulo Martyropolitanus et Administrator Apostolicus Bellohorizontinus, quorum Provinciae Ecclesiasticae Civitate, quam diximus, continentur, Nos rogaverunt, ut Beatam Mariam Virginem, nomine illo insignem, eiusdem Civitatis caelestem Patronam confirmaremus; id in optatis esse etiam ceteris sacrorum Antistitibus regionis illius et civilibus potestatibus. Quibus precibus libenter auditis, Nos ex Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Beatam Mariam Virginem, nomine « Nossa Senhora da Piedade » invocatam, Civitatis, quae, intra Brasiliae fines posita, vulgo « Minas Gerais » appellatur, praecipuam apud Deum *Patronam* confirmamus seu constituimus ac declaramus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis liturgicis, quae principalibus regionum Patronis rite competunt. Contrariis quibusvis non obstantibus.

Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Roma, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XX mensis Novembris, anno MDCCCCLVIII, Pontificatus Nostri primo.

D. TARDINI
a publicis Ecclesiae negotiis

II

INDULGENTIAE PLENARIAE ET PARTIALES PATRIARCHALI BASILICAE S. MARCI VENETIIS CONCEDUNTUR.

IOANNES PP. XXIII

Ad perpetuam rei memoriam. — Opere nobilissimo Venetiis aedificata Basilica Sancti Marci non solum visendi studiosam allicit multitudinem eique haud modicam inicit admirationem, sed etiam, quod plurimi sane faciendum est, Christifidelium animos ad se convertit quasi ad praecipuum quoddam domicilium religionis. Cuius maximi Templi Nos gratam tenemus memoriam, quippe quibus, cum Venetiarum Ecclesiam, Sancti Laurentii Iustiniani Protopatriarchae sanctimoniae exemplis collustratam, per sex regeremus annos, tam arcta cum illo ratio fuerit. Subit quoque mentem Alexandrum Pp. III et Sanctum Pium Pp. X, Decessores Nostros fel. rec., augustam hanc Sancti Marci Basilicam spiritualibus muneribus locupletasse. Quorum memores munificentiae eoque ducti consilio, ut memoriam pastoralis officii Venetiis a Nobis gesti prorogaremus in aevum, ad dona Summorum Pontificum, quos diximus, alia, de thesauro Ecclesiae deprompta, addere constituimus, quibus populus simul ad impensius pietatis studium provocaretur. Itaque Nos, de Omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum eius Apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, motu proprio, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, memoratam Sancti Marci Basilicam, Venetiarum Patriarchatus principem, pie invisentibus hasce statis condicionibus Indulgentias in Domino impertimus: scilicet I. *In-*

dulgentiam plenariam, semel cotidie lucrandam, Christifidelibus vere paenitentibus et confessis et sacra Communione refectis, ac preces ad mentem Summi Pontificis fundentibus, servatis de iure servandis, misericorditer largimur. II. Iisdem, item paenitentibus et confessis ac Sacra Eucharistia refectis, et quinquies *Pater, Ave* et *Gloria Patri* in unaquaque visitatione ad mentem Summi Pontificis recitantibus *Indulgentiam plenariam* « toties quoties » hisce per annum diebus benigne concedimus: *a*) in omnibus festis I et II classis, sive primariis sive secundariis, quae in tabellis Constitutioni Apostolicae adiunctis, quam, a verbis « Divino afflatu » incipientem, idem Decessor Noster Sanctus Pius Pp. X die I mensis Novembris anno MDCCCCXI expedivit, recensentur; *b*) in festis feriatis atque feriis, vigiliis et octavis privilegiatis; *c*) diebus, quibus, secundum Calendarium dioecesanum Patriarchalis Ecclesiae Venetiarum, stata in loco sollemnia honori Sanctorum vel Beatorum vel ob peculiaris pietatis causam celebrantur, prout in Officiis propriis approbatis inveniuntur; *d*) die Indulgentiae a Portiuncula appellatae lucrandae destinato. III. Praeterea Christifidelibus eandem Basilicam animo contrito invisentibus et ad Summi Pontificis mentem facientibus precationem *Indulgentiam partialem decem annorum* « toties quoties » impertimus, quae acquiri poterit etiam ab eo, qui Indulgentiam plenariam iam lucratus sit. Denique pro Nostra benevolentia indulgemus et largimur, ut eiusdem Basilicae altaria, quae non fuerint privilegiata, hoc spirituali munere in omne tempus praedita sint. Contrariis quibusvis non obstantibus; ac praesentibus Litteris perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Roma, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIV mensis Ianuarii, anno MDCCCCLVIIII, Pontificatus Nostri primo.

IOANNES PP. XXIII

III

CONFOEDERATIO CONGREGATIONUM ORDINIS CANONICORUM REGULARIUM S. AUGUSTINI APPROBATUR.

IOANNES PP. XXIII

Ad perpetuam rei memoriam. — « Caritatis unitas » et « communiter vivendi societas » a Sancto Augustino, praeclaro Ecclesiae lumine, clericis in monasterio constitutis impense mandantur (*Serm.* 356; *P. L.* 39,

1577; cfr. *Serm.* 355; *ibid.*, 1573); qui de eiusmodi sanctitatis proposito haec etiam, quo est ingenio blandissimo, dicit: « Ecce quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum... Ista enim verba Psalterii, iste dulcis sonus, ista suavis melodia, tam in cantico quam in intellectu, etiam monasteria peperit. Ad hunc sonum excitati sunt fratres qui habitare in unum concupierunt; iste versus fuit tuba ipsorum, et qui divisi erant congregati sunt » (*Enarr. in Ps.* 132; *P. L.*, 36, 1729). Huius autem animorum coniunctionis, huius communis vitae instituti Sanctus ille Praesul non solum magister fuit sed etiam effector, exemplum relinquens, in quod nullo non tempore filii eius universi respicerent. Qui clerici seu canonici, ideo degentes in coenobiis, ut, quod sibi imprimis esset propositum, cultus scilicet sollemnis in templis, quibus forent addicti, et cura animorum, perficerent sanctius, post varias vicissitudines rerum, permagnis aucti sunt incrementis, maxime postquam Synodus Lateranensis, anno MLVIIII celebrata, ad austeriorem formam eos redegit. Novo igitur praediti vigore, in eam excreverunt religiosam familiam, quae Ordo Canonicorum Regularium Sancti Augustini est dicta pluriumque virorum sanctimonia, doctrina, meritis in plebem Dei non paulum commendata. In qua multae temporum successu constitutae sunt sodalitates, suis quidem legibus viventes, sed unius comprehensae Ordinis nomine. Quarum nonnullae, Augustiniana incensae caritate, non omiserunt olim quominus maiore necessitudine sese attingerent ope confraternitatum et aggregationum, quibus inter se quodam modo continerentur pietatis et amicitiae vinculis. Nunc vero Congregationes, quae, post calamitates atque detrimenta, iniuria temporum familiae huic religiosae inflicta, superstites sunt eundemque efficiunt Ordinem, mutatis rerum adiunctis novisque impellentibus necessitatibus in Sancta Ecclesia, in veram Confoederationem coalescere optant, ut inter se artius caritatis nexu coniungantur, vires totius augeant Ordinis ac mutuum praebeant sibi adiumentum, praesertim quod ad rem spiritualem, iuvenum institutionem humanitatisque pertinet cultum. Nec aptiorem occasionem ad hoc peragendum propositum possunt nancisci quam revolutum saeculum nonum ex quo vetus institutum canonicorum, a Synodo Lateranensi praedicta salubri confirmatum disciplina, quasi nova veris tepore effloruit. Sedes autem Apostolica, de religiosorum sodalium sollicita profectu, foederibus inter monasteria et Congregationes, quae sui sunt iuris, libentissime favet eaque suadet et promovet, cum sit usu compertum ex huiusmodi consociationibus fructus oriri nec paucos nec leves, hac praesertim aetate, qua vita reli-

giosa prudenter accommodanda esse videtur novis condicionibus rerum. Merito ergo Pius PP. XII, Decessor Noster imm. mem., ad Monachos Sancti Benedicti faciens verba, in hanc est locutus sententiam: « Nunc temporis eundi et redeundi expeditior copia, ad operum consortionem passim proclivior voluntas, copiosior scientiae, consilii, navitatis supellex, qua sacerdotes, missionales quoque, indigent, ut quam exspectationem sui fecerint, compleant, poscunt foedera, unitatem exigunt » (*Acta Ap. Sed.*, 1947, 39, p. 455). Itaque eiusdem Canonici Ordinis Congregationes seu Sodalitates Sanctissimi Salvatoris Lateranensis, Canonicorum Regularium Sancti Augustini Lateranensium Austriaca, Sanctorum Nicolai et Bernardi Montis Iovis et Helvetica a Sancto Mauritio Agaunensi, re in cuiusque Capitulis seu Consiliis expensa et habita rata, per dilectum filium Carolum Egger, Abbatem et Procuratorem Generalem, preces Nobis adhibuerunt submissas, ut Confoederationem, seu Foedus caritatis, inter se et, quibus inniteretur, principia, auctoritate Nostra benigne probaremus. Nos vero, Canonicos Regulares Sancti Augustini paterno complectentes amore, libenter votis huiusmodi obsecundare statuimus; ac fore confidimus, ut, quoniam veterum sapientia docet res parvas, nedum maiores, concordia crescere, haec Ordinis Canonici Sodalitatum coniunctio non solum eius decori et incremento conducat, sed etiam fructuum, quos efferet, copia in Ecclesiae hominumque societatis commodum, Dei aspirante numine, vertat. Quapropter, e Sacrae Congregationis negotiis Religiosorum Sodalium praepositae consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum *Confoederationem, seu Foedus caritatis, Congregationum vel Sodalitatum Ordinis Canonicorum Regularium Sancti Augustini approbamus et confirmamus* eique Apostolicae sanctionis robur adicimus. Praeterea eadem auctoritate Nostra *approbamus confirmamusque principia, quibus eadem Confoederatio regatur,* iuxta exemplum, quod in tabulario Sacri Consilii negotiis Religiosorum Sodalium praepositi asservatur quodque huius est tenoris: « I - Uniuscuiusque Congregationis foederatae autonomia seu propriis legibus vivendi potestas integra servatur. II - Creatur Abbas Primas Ordinis Canonicorum Regularium Sancti Augustini, qui per vices asciscitur e singulis Congregationibus foederatis eo ordine, quo in « Annuario Pontificio » recensentur, ita tamen ut ordo Abbatem Primatem e singulis Sodalitatibus constituendi a Congregatione Helvetica a Sancto Mauritio Agaunensi incipiat. Abbas Primas, ut talis, obtinet primatum honoris et locum

principem in toto Ordine foederato. Sexenne est Abbatis Primatis officium, qui Canonicum Regularem e quavis Congregatione foederata, Procuratorem Generalem, ad tempus proprii muneris in officio duraturum, nominet, ut suam apud Romanam Curiam personam agat. Abbatis Primatis est Conventus Ordinis Canonicorum Regularium Sancti Augustini ex omnibus nationibus singulis trienniis convocare iisque moderari. Quibus in Conventibus agetur de re spirituali, institutione iuvenum et aliis negotiis, quae omnium intersint. III - In tota Confoederatione viget participatio omnium precum et bonorum operum, quae a sodalibus patrari contingit. IV - Unaquaeque Congregatio Foederata certa Missarum suffragia persolvet ad animas sodalium e Confoederatione mortuorum expiandas. V - Omnes Congregationes foederatae unum et commune habebunt Proprium Sanctorum et Beatorum Ordinis, cui officia peculiaria, singulis Congregationibus propria, adicientur. VI - Congregationes foederatae unicum Cardinalem Protectorem habebunt, quem communi consensu a Sede Apostolica postulaverint ». Hisce principiis innixa Statuta peculiaria huius Confoederationis postea erunt perscribenda et eidem Apostolicae Sedi proponenda. Cum denique iuxta principia, quae probavimus, Confoederationi Sodalitatum Ordinis Canonici istius praeficiendus sit Abbas Primas, hac prima vice auctoritate Nostra Primatem eligimus et constituimus Venerabilem Fratrem Ludovicum Severinum Haller, Episcopum titulo Bethleemitanum et Abbatem Sancti Mauritii Agaunensis, sex annos in hoc munere duraturum, quo elapso tempore in eius locum, secundum Statuta approbanda, succedat Abbas Primas e Congregatione Sanctissimi Salvatoris Lateranensis, ac deinceps suo ordine e reliquis Congregationibus. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Roma, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die IV mensis Maii, in festo Sanctae Monicae, anno MDCCCCLVIIII, Pontificatus Nostri primo.

D. Card. TARDINI
a publicis Ecclesiae negotiis

IV

REGULA ET CONSTITUTIONES CONGREGATIONIS CLERICORUM EXCALCEATORUM SANCTISSIMAE CRUCIS ET PASSIONIS DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI ADPROBANTUR.

IOANNES PP. XXIII

Ad perpetuam rei memoriam. — Salutiferos cruciatus Christi Servatoris ut pie meditarentur eorumque recordatione populos ad eluenda admissa et ad virtutis viam sequendam adigerent, atque etiam ut ethnicos ad veritatem traducerent, quae divinitus nobis affulsit, Sanctus Paulus a Cruce, Iesu tormentis obnoxii sectator eximius, Congregationem Clericorum excalceatorum Sanctissimae Crucis et Passionis Domini Nostri Iesu Christi provido consilio instituit; quos, additicii voti sponsione obligatos, iussit studium promovere, quo dolorum perpessio, quos humani generis Redemptor nostra pertulit causa, peculiari ratione recolitur. Hac vero e religiosa Sodalitate, laetis aucta incrementis, utilitates sunt in Ecclesiam profectae nec paucae nec leves; estque commemorandum summa eidem Familiae accrevisse ornamenta eo quod nonnullis ex ea Sanctorum Caelitum decreti essent honores. Quam, ut praestituta sibi munera recte obiret atque frugifere, idem auctor et magister legibus a se, non sine divini Numinis afflatu, perscriptis, obstrinxit, quas Benedictus Pp. XIV, Decessor Noster rec. mem., anno MDCCXXXXI et, cum essent, ut res postulabat, in aptiorem formam redactae, anno MDCCXXXXVI sollemni modo probavit, atque, iterum postea auctas et emendatas, Clemens Pp. XIV, Decessor Noster, ratas habens Apostolica firmavit auctoritate. Legifer vero Pater, paulo antequam ex hac vita ad sempiternam excederet lucem, Regulas illas et Constitutiones denuo diligenter excussit et recognovit, quas, rite expensas, Pius Pp. VI, item Decessor Noster, anno MDCCLXXV comprobavit. Postquam vero Codex Iuris Canonici editus est, Sodalitas, quam diximus, easdem leges, scilicet vitae suae instituendae normas, ad Codicis illius rationem accommodavit; quae, sic aptatae ac praeter hoc nonnihil immutatae, anno MDCCCCXXVIII et MDCCCCXXX approbatione Sacri Consilii Religiosorum Sodalium negotiis praepositi sunt communitae. Eiusdem vero religiosae Familiae praesidum concilium, anno MDCCCCLII coactum, necessarium ducens efficere, ut eiusmodi leges cum iis, quae nostra aetas postularet, congruerent, Consilium iussit institui, cuius esset secundum

optata et praeceptiones Sedis Apostolicae, hac de re non semel significata, Regulas et Constitutiones ad horum temporum rationem conformare. Qui delecti viri eo simul mentes intenderunt, ut ea, quae iisdem in legibus essent primaria et quasi fundamentum, quae indolem Sodalitatis propriam declararent vel necessario consequerentur, ac demum ea, quae a Legifero Patre tradita essent et ab Ecclesia impense propugnata, non solum servarentur integra atque stabilia, sed etiam, novo addito vigore, redderentur efficaciora ac studiosius proveherentur. Quae autem inducta sunt, maxime pertinent ad constitutionem Sodalitatis ad iuris rationem quod attinet, ad eius regimen, ad iuvenum religiosorum institutionem. Exemplum igitur huiusmodi legum, ex parte immutatarum, sedulo et alacri opere perfectum, Sacro Consilio Religiosis Sodalibus moderandis propositum est, quod rite de eo cognovit. Cum igitur dilectus filius Malcolmus a Maria, Praepositus Generalis Congregationis Clericorum excalceatorum Sanctissimae Crucis et Passionis Domini Nostri Iesu Christi, submisse Nos rogasset, ut Regulas et Constitutiones, ad horum temporum necessitates, uti diximus, compositas, Nostra probaremus auctoritate, Nos, propensam voluntatem in religiosam Familiam istam patefacere volentes, precibus huiusmodi libenti animo statuimus obsecundare; atque fore confidimus, ut, nova quadam acti impulsione, ad sua obeunda instituta Regnumque Dei quoquoversus propagandum Sodales iidem excitentur. Quae cum ita sint, Nos, e Sacrae Congregationis negotiis Religiosorum Sodalium praepositae consulto, omnibus attente perpensis, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum *Regulas et Constitutiones Congregationis Clericorum excalceatorum Sanctissimae Crucis et Passionis Domini Nostri Iesu Christi* ad huius aetatis rationem accommodatas et a Sacro Consilio, quod diximus, recognitas, *approbamus et confirmamus* iisque Apostolicae sanctionis robur adicimus, dummodo conveniant cum exemplo, quod in Tabulario Sacrae eiusdem Congregationis Religiosis praepositae asservatur, et cuius prima verba sunt « Haec Congregatio eundem finem habet », extrema vero « ut ordo vos custodiat. Sic fiat. Amen ». Hisce simul Litteris et auctoritate Nostra abrogamus et abrogata esse declaramus ea omnia, quae iisdem Regulis et Constitutionibus, sic per Nos probatis, non continentur. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare pote-

runt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Roma, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die I mensis Iulii, in festo Pretiosissimi Sanguinis Domini Nostri Iesu Christi, anno MDCCCCLIX, Pontificatus Nostri primo.

D. Card. TARDINI
a publicis Ecclesiae negotiis

EPISTULA

AD EM̃UM P. D. MARCELLUM S. R. E. CARD. MIMMI, EPISCOPUM SABINENSEM ET MANDELENSEM, A SECRETIS SACRAE CONGREGATIONIS CONSISTORIALIS, QUEM LEGATUM MITTIT AD EUCHARISTICUM CONVENTUM EX UNIVERSA ITALIA CATANAE AGENDUM.

IOANNES PP. XXIII

Dilecte Fili Noster, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Catana, urbs ignivomae vicina Aetnae, natura loci amoena, religiosis memoriis inclita, quam Agatha et Euplus sacri martyrii purpura decorarunt, hoc praeclaro honestatur delectu, ut ibidem adventante Septembri mense Eucharisticus ex universa Italia Conventus agatur. Quem expectationi plene perfecteque parem futurum et eximium pietatis fructum pariturum esse haud dubie spondent praesertim studium fidei et operae sollertia Catanensis Archiepiscopi atque cleri et christifidelium, eius curis commissorum, in quibus ad augusto Altaris Sacramento parandum triumphum nobili contentione iam diu voluntates conspirant.

Ut tantarum celebritatum nitor magis splendescat et pia augeatur laetitia, hoc consilium cepimus, ut unum ex Purpuratis Patribus eo mittamus: ob id, re mature perpensa, te, Venerabilis Frater Noster, Legatum Nostrum renuntiamus et deligimus, qui in Catanensi Eucharistico Conventu ex universa Italorum natione personam Nostram geras et hortaminum votorumque Nostrorum ibidem nuntius et interpres fias, hanc praecipuam ob causam, ut omnes, ad quos vox tua pervenerit, SSm̃am Eucharistiam, caelestium mirabilium rerum fastigium, puritate fidei et venerationis obsequio magis magisque in dies colant.

Haec enim salutari alimonio animorum nostrorum reficit vires haud sine suavi oblectamento, quo veteri illi mannae iure comparatur, et, cum ipsum Auctorem vitae et gratiae contineat, abunde dat eam, quae veri nominis et pretii est, vitam, secundum illud S. Augustini: « Manduca vitam, bibe vitam: habebis vitam; et integra est vita ».[1] Cum autem natura sua Sacramentum sit unitatis et pacis, omnes qui christiano nomine censentur, si ab iis sancte et pie sumitur, artissime coniungit Deo et inter se solido vinculo, quo unam societatem, unum convictum, unum corpus se constituere animadvertant. Quapropter nihil tam abhorret ab iis qui huiusmodi dape nutriuntur quam simultates, odia, invidiae et quidquid fraternae consortionis compaginem abscindit.

Velint igitur ii qui mysterio fidei sollemnes tribuent honores, exemplo suo alios quam plurimos in imitationem sui traducturi, amore unitatis et pacis praecellere et, amoto falso sui et suarum partium studio, firmitate propositorum ea semper prosequi bona, quae, quo magis ampla et celsa sunt, magis sunt divina.

Plurimum denique cupimus, ut in religionis emolumentum et decus, in civilis rei prosperitatem felicitatemque e Catanensi pientissimo Eucharistico Conventu supernae gratiae copiosi descendant effectus, atque illius memoria, longa beneficia etiam in posterum proferens, in animis perseveret dulcissime.

Huius rei causa congruentia Dei auxilia precati, tibi, Venerabilis Frater Noster, sacrorum Antistitibus, magistratibus, sacerdotibus, christifidelibus incolis et advenis, qui Catanae magnificentissima Congressione Sacramentum Altaris venerabuntur, Apostolicam Benedictionem peramanter impertimus.

Datum Roma, apud Sanctum Petrum, die II Augusti anno MCMLIX, Pontificatus Nostri primo.

IOANNES PP. XXIII

[1] Sermo CXXXI, 1, *De verbis Evangelistae Iohannis*, 6.

NUNTII RADIOPHONICI

I

CHRISTIFIDELIBUS HONDURENSIS REIPUBLICAE, QUI SACRATISSIMO CORDI IESU ET CORDI IMMACULATO B. MARIAE VIRG. SE DEVOVERUNT.*

¡Amadísimos Hondureños! *Gratia vobis et pax!* ¡Gracia y paz a vosotros!

Hoy Honduras se ha consagrado a los Sagrados Corazones de Jesús y de María, terminando así las Misiones en que las gracias del Cielo, como en nueva Pentecostés, se han derramado a torrentes sobre vuestras almas. ¡Felicidades, amadísimos hijos! « *Nunc facta est salus et virtus et regnum Dei nostri et potestas Christi ejus* ».[1] Hoy Honduras ha dicho que quiere vivir en un ambiente jubiloso de cristianismo verdadero, que en el corazón de cada uno, en el santuario de todos sus hogares, en los estamentos de la sociedad entera hay un puesto para Cristo, para su ley. ¡Al Rey de los siglos, honor y gloria!

Tres cosas vamos a deciros en este saludo que confiamos a las ondas de la Radio. Vivid en gracia; preservad la santidad de la familia; mantened la unión y la concordia en vuestra sociedad.

La vida del hombre tiene un sentido cuando éste coloca a Dios como meta última de sus aspiraciones, pone como base su amistad con El y hace discurrir su andar diario por el cauce de sus mandamientos y deseos. Nos gustaría estar ahora ahí, en medio de vosotros, para mostrar a unos la página evangélica del hijo pródigo, a otros la escena de Jesús con los niños cuyos ángeles siempre ven a Dios, para repetiros el sermón de la Montaña... Vivid, os diremos solamente, la vida cristiana en toda su hondura y realismo. Nunca olvidéis la enseñanza fundamental de estos días: Jesucristo, con su sangre, nos ha traído del Cielo el supremo don de la gracia y « nos ha hecho merced de las más preciosas y ricas promesas para hacernos así partícipes de la divina naturaleza ».[2]

Acercad cada día vuestros labios a los divinos manantiales de la vida sobrenatural y tomad el alimento vital del alma que se da en los sacramentos, eliminando todo lo que impide eficacia o disminuye vuestro esfuerzo por conseguir los frutos de la Redención de Cristo. Que cada uno de vosotros se sienta como obligado a atraer al hermano alejado, a

* Die 16 Augusti mensis a. 1959.
[1] *Apoc.* 12, 10.
[2] *2 Petr.* 1, 4.

enseñarle a revalorizar la propia fe, a profundizar en una más consciente responsabilidad de sus exigencias, a saborear en pleno la grandeza del credo católico.

¡ Santificad el hogar ! La unión de los corazones que se mantiene con la fidelidad un día jurada ante el altar; la oración en común, particularmente el rezo del Santo Rosario; la cristiana educación de los hijos; el soportar los esposos mutuamente en el amor de Cristo los defectos e imperfecciones; ¿no será todo esto fuente de prosperidad y poderosa palanca que volcará sobre vuestras casas innumerables bienes y gracias, y tálvez la vocación religiosa o sacerdotal de que tanta necesidad hay en vuestra patria?

Unión y caridad entre todos. Solo al adaptarse el hombre al plan de Dios, la sociedad recobrará la serenidad, el bienestar, la paz. La Iglesia hace a los hombres volver sus ojos a la unidad llamándolos, de cualquier estirpe o condición social que sean a que se unan con lazo fraternal en Cristo, en el Redentor que cada día con su sacrificio consagra a Dios Padre el género humano.

« La deseada salvación — como indicábamos en Nuestra primera Encíclica — debe ser principalmente fruto de una grande efusión de caridad, de aquella caridad cristiana que resume en sí misma todo el evangelio y que, pronta a sacrificarse por el prójimo, es el más seguro antídoto contra el orgullo y el egoísmo del mundo »; la caridad que suple, completa y vivifica las relaciones de justicia; la caridad y la bondad que son el mejor fruto del cristianismo.

El Señor, por medio de María Reina de la paz, bendiga a ese noble País, proteja a sus Autoridades, con el Excelentísimo Señor Presidente de la República a la cabeza; asista con abundantes gracias al Episcopado, a los Misioneros, al Clero y al queridísimo pueblo Hondureño. A todos, mientras alzamos el corazón y las manos al Cielo, impartimos Nuestra Bendición Apostólica.

II

MARIALIUM CONGREGATIONUM SODALIBUS, QUI CONVENTUI II EX OMNIBUS NATIONIBUS NOVARCI HABITO INTERFUERUNT. *

Tribuite Domino gloriam et potentiam; tribuite gloriam nomini Iesu et Beatissimae Virgini Mariae, inclitae Matri eius, ut spe, gaudio, bonis operibus abundetis.

* Die 20 Augusti mensis a. 1959.

Hoc nuntium bonum, quod suave est Nobis mittere, vox oris Nostri, immo paterni animi Nostri, resonet vobis, dilectissimi Marialibus Congregationibus asciti sodales, qui Foederationis vestrae ex omnibus gentibus Conventum Novarci agitis. Non sine gratulationibus et votis peramanter primo salutamus Venerabilem Fratrem Iosephum Gawlina, Archiepiscopum titulo Madytensem, generalem moderatorem vestrum, dein ceteros istic adstantes sacrorum Antistites, cuiuslibet ordinis ductores vestros, sodalium vestrorum multitudinem, iuvenum vestrorum robur floremque, in quorum virtute spem optimam collocamus: *Qui iuvenes quantas ostentant, aspice, vires.*[1]

In festo SSm̃ae Trinitatis hoc anno, cum in Vaticana Basilica sodales vestros Romanos allocuti sumus, ex imo pectore depromptis verbis palam fecimus, quanti vos existimaremus et quanta caritate amplecteremur. Hanc opinationem, hoc paternum studium iterum vobis confirmare gaudemus.

Procul dubio, cum Ecclesia sit castrorum acies ordinata,[2] ad pacifici Regis intemeratas deproperandas victorias validam operam conferunt piae militiae agmina, si de virtute aemulo studio concertent.

Habetis, unde gloriemini. Egregie rebus gestis ad provehendam gloriam nominis Iesu vestra fulgent vexilla. Antesignanos vos esse Nos probe scimus. Maiora in diem vobis assequenda proponimus: in apostolatu scilicet exercendo, ubivis flagitat fides, ubivis vocat caritas, ubivis poscunt pietas et sanctarum tuitio legum, rite confirmata virium compagine, nulli optamus vos esse secundos.

Quaestionum cardo, de quibus in isto Conventu disputandum sumpsistis, hic est: In hodierno rerum discrimine quodnam munus ad sodales Marialium Congregationum attinet?

Salutari quidem consilio voluistis prosequi et in rem sollertius deducere ea quae in secundo Conventu apostolatus laicorum Romae anno MCMLVII celebrato statuta sunt: inde manifesto patet vos cum Ecclesia egregie sentire et idoneis praesidiis, vim et efficientiam actionis vestrae, quantum fieri potest, ad nationum complexum exserendo, huius temporis rerum adiunctis quasi flexilibus quibusdam iuncturis vos aptare.

Hanc ob rem vivendi ratio Marialis sodalis christianae pietatis fontibus alitur et ad operum impletionem caritatis impulsum exquirit. Etenim Congregationibus Marialibus asciti sodales libenter amplectuntur vitam sanctimoniae et apostolatui deditam, per consecrationem Beatissimae

[1] *Aen. VI*, 771.
[2] Cfr. *Cant.* 6, 9.

Mariae Virgini agendam, quae natura sua continet sponsionem fideliter sequendi haec vitae proposita per totum aetatis decursum. Hinc emanat profluitque studium magis magisque progrediendi in mirabili mentis habitu, quo in quacumque re nihil praeter divinum beneplacitum cupitur, ac prece, actione vitae, virtutum exemplis Ecclesiae prodesse et sempiternam animorum comparare salutem fixum statutumque habetur.

At Nobis prorsus videtur, ut officium vestrum fructuose impleatis et communi exspectationi perfectius et plenius respondeatis, summe oportere, id ex quo vocitamini revera magis magisque sitis: Deiparae cultores, religionis eius propagatores, materni eius regni amplificatores. Aetas nostra indubiis indiciis mariali indole esse videtur, itemque lucidius in dies apparet sontibus hominibus ad Deum revertendi viam a Maria communiri, Mariam esse validissimam fiduciam nostram, fulcimentum securitatis nostrae, rationem spei nostrae.

Melliflui igitur Doctoris verbis usi, ita vos, dilectissimi, alloquimur: « Tolle Mariam, hanc maris stellam, maris utique magni et spatiosi, quid nisi caligo involvens et umbra mortis ac densissimae tenebrae relinquuntur? Totis ergo medullis cordium, totis praecordiorum affectibus et votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas eius, qui totum nos habere voluit per Mariam. Haec — inquam — voluntas eius est, sed pro nobis: in omnibus siquidem et per omnia providens miseris, trepidationem nostram solatur, fidem excitat, spem roborat, diffidentiam abigit, erigit pusillanimitatem ».[3]

Ob id summo studio Mariam diligentes, eius virtutes in mores vestros referte, in imitationem vestram quam plurimos traducite, ita Matrem et Reginam caelitum hominumque precantes: Trahe nos: post te curremus in odorem unguentorum tuorum.[4]

Vobis et inceptis vestris nunc et in posterum, serum per aevum nominis Iesu virtus et auxilium, Mariae Virginis adridentium oculorum propitiatio, iustitiae et veritatis triumphus, pax et benedictio! Amen.

[3] Sermo *De aquaeductu*, VI-VII.
[4] Cfr. *Cant.* 1, 3.

ACTA PII PP. XII

LITTERAE APOSTOLICAE

I

BEATA MARIA VIRGO « DE PERPETUO SUCCURSU » PRAECIPUA CAELESTIS PATRONA VICARIATUS APOSTOLICI SAMARINDAËNSIS DECLARATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Quae materno cum animo hominibus, in huius saeculi caliginoso mari versantibus, opem caelitus ferre non desinit, Beatissima Virgo Maria a Perpetuo Succursu recte solet appellari et, hoc nomine ornata, impense excoli. Hoc vero religionis studium in iis praesertim regionibus est commendandum, in quas Evangelii lumen per verbi Dei praecones recens illatum est, ut Augustae Virginis beneficio errores omnes discutiantur et christiana veritas penitus inhaerescat in mentibus. Quod spectans, Venerabilis Frater Iacobus Henricus Romeyn, Episcopus titulo Zenopolitanus in Isauria et Vicarius Apostolicus Samarindaënsis, Nos rogavit, ut Beatam Mariam Virginem de Perpetuo Succursu nuncupatam, cui etiam princeps templum eiusdem regionis missionali opere excolendae nuper dicatum est, huius Patronam renuntiaremus. Quibus precibus libenti animo admissis, Nos, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Beatam Mariam Virginem de Perpetuo Succursu praecipuam apud Deum *Patronam* totius Vicariatus Apostolici Samarindaënsis confirmamus seu constituimus ac declaramus, omnibus adiectis honoribus ac privilegiis liturgicis, quae principalibus regionum Patronis rite competunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant

seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Roma, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVIII mensis Aprilis, anno MDCCCCLVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
a Brevibus Apostolicis

II

MONASTERIUM CUM TEMPLO « S. CRUCIS DE VALLE OCCASORUM », AD CONGREGATIONEM SOLESMENSEM O. S. B. PERTINENS, ABBATIAE NOMINE ET IURE DONATUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Stat crux, signum salutis et sempiternae requietis index, summa in rupe, quae inter montium iuga exsurgit, quae « Guadarrama » vulgo appellantur. Quae saxea moles ita effossa est, ut ingens specus in Templi subterranei figuram conformaretur. Nec procul aedificia excitata sunt, eaque perampla, quae sacrorum administris et hospitibus ac peregrinis aptum praeberent locum ad commorandum. Tanta opera Franciscus Franco Bahamonde, Hispaniae Moderator, fecit, ut monumentum poneret iis, qui civili bello quavis de causa interempti essent vitamque profudissent, atque ut in novo hoc religionis domicilio continenter propitiaretur Deus et munera superna Hispanicae Nationi obvenirent. Qui summa auctoritate praeditus Vir monachos insignis coenobii Silensis, ad Congregationem Solesmensem Ordinis Sancti Benedicti pertinentis, accersivit, ut in hac montana pietatis sede procurarent sacra, monasticae vitae obirent instituta, studia exercerent, atque adeo populum ad sempiterna et incorporalia christianamque revocarent virtutem. Ut autem congreganda Familia religiosa honeste ali possit, affatim est, immo munifice consultum. Preces igitur Nobis adhibitae sunt, ut novum monasterium cum Templo quod diximus, pro Nostra benignitate Abbatiae nomine ac iure donaremus.

Quae vota pro Nostra in Sancti Benedicti alumnos propensa voluntate libenti animo explentes, Nos, e Sacrae Congregationis Religiosis Sodalibus praepositae consulto, Apostolica Nostra auctoritate, harum Litterarum vi perpetuumque in modum novam *Abbatiam* sui iuris, titulo *Sanctae Crucis de Valle Occasorum* nuncupandam, erigimus et constituimus, eamque, ad Congregationem Solesmensem Ordinis Sancti Benedicti pertinentem, omnium iurium et privilegiorum Abbatiis eiusdem religiosae Sodalitatis concessorum participem facimus. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; memorataeque sic per Nos erectae Abbatiae illiusque Praesulibus et monachis, praesentibus et futuris, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum Roma, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVII mensis Maii, anno MDCCCCLVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
a Brevibus Apostolicis

III

BEATA MARIA VIRGO SINE LABE ORIGINALI CONCEPTA PRAECIPUA CAELESTIS PATRONA DIOECESIS SEPTEMLACUNENSIS CONSTITUITUR.

PIUS PP. XII

Ad perpetuam rei memoriam. — Anno saeculari, quo memoria Beatae Mariae Virginis, a prima labe immunis, et a paupere piaque puella in Lapurdensi specu pluries visae, per orbem terrarum recolitur, amorem erga intaminatam hanc Dei Genetricem incrementis auctum esse gaudemus. Cuiusmodi religiosae alacritatis testimonium allatum est etiam e dioecesi Septemlacunensi, quam paucos ante annos in Brasiliae finibus constituimus. Cognovimus enim in animis christifidelium, ibi degentium, penitus insidere cultum Beatae Mariae Virginis sine labe conceptae,

eiusque festum diem concelebrari summa cum populi frequentia, summa cum caerimonia. Quorum omnium, maxime civilium potestatum, sodalium ab Actione Catholica piarumque societatum, vota significans, Venerabilis Frater Iosephus de Almeida Batista Pereira, Septemlacunensis Episcopus, Nos rogavit, ut Beatam Mariam Virginem ab origine Immaculatam, dioecesis suae praecipuam apud Deum Patronam renuntiaremus. Quibus precibus benigne annuentes, Nos, e Sacrae Rituum Congregationis consulto, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum Beatam Mariam Virginem sine labe originali Conceptam totius dioecesis Septemlacunensis praecipuam apud Deum caelestem *Patronam* constituimus ac declaramus, omnibus adiectis iuribus ac privilegiis liturgicis, quae principalibus dioecesium Patronis rite competunt. Contrariis quibusvis non obstantibus. Haec edicimus, statuimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectant seu spectare poterunt, nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite iudicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Datum ex Arce Gandulfi, sub anulo Piscatoris, die XI mensis Septembris, anno MDCCCCLVIII, Pontificatus Nostri vicesimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis

GILDO BRUGNOLA
a Brevibus Apostolicis

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS

I

PROVISIO ECCLESIARUM

Sanctissimus Dominus Noster Ioannes, Divina Providentia Pp. XXIII, successivis decretis Sacrae Congregationis Consistorialis, singulas quae sequuntur Ecclesias de novo Pastore dignatus est providere, nimirum:

die 22 Iunii 1959. — Titulari episcopali Ecclesiae Scyriae praefecit R. P. D. Bernardum Schräder, Vicarium Generalem dioecesis Osnabrugensis, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Helmuti Hermanni Wittler, Episcopi Osnabrugensis.

die 30 Iunii. — Cathedrali Ecclesiae Fuldensi Exc. P. D. Adolfum Bolte, hactenus Episcopum titularem Cibyratensem.

die 22 Iulii. — Cathedrali Ecclesiae Cucutensi Exc. P. D. Paulum Correa León, hactenus Episcopum titularem Gisipensem.

— Titulari episcopali Ecclesiae Rhandensi R. D. Ioannem Laurentium Kulik, cancellarium Curiae episcopalis Lodzensis, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Michaëlis Klepacz, Episcopi Lodzensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Bonitzensi R. P. Thaddaeum Etter, ex archidioecesi Posnaniensi, quem deputavit Auxiliarem Exc. P. D. Antonii Baraniak, Archiepiscopi Posnaniensis.

— Titulari episcopali Ecclesiae Aperlitanae R. P. D. Ferdinandum Baldelli, e dioecesi Pergulana, Antistitem Urbanum, Pontificii Operis egenis adiuvandis Praesidem et Nationalis Operis opificibus in re religiosa ac morali contutandis Moderatorem.

die 3 Augusti. — Metropolitanae Ecclesiae Neo-Pampilonensi Exc. P. D. Hannibalem Muñoz Duque, hactenus Episcopum Bucaramanguensem.

die 8 Augusti. — Titulari archiepiscopali Ecclesiae Amidenae Exc. D. Gastonem Mojaisky Perrelli, hactenus Delegatum Apostolicum in

Africa Orientali et Occidentali Britannica, quem nominavit Delegatum Apostolicum in dicionibus « Congo Belgico et Ruanda Urundi ».

— Cathedrali Ecclesiae Peoriensi Exc. P. D. Ioannem Baptistam Franz, hactenus Episcopum Dodgepolitanum.

— Cathedrali Ecclesiae Vigorniensi Exc. P. D. Bernardum Iosephum Flanagan, hactenus Episcopum Norvicensem.

— Cathedrali Ecclesiae Pueblensi R. P. D. Carolum A. Buswell, Antistitem Urbanum, parochum ecclesiae D. N. Iesu Christi Regis, ex dioecesi Oklahomensi et Tulsensi.

— Titulari episcopali Ecclesiae Emmausensi R. D. Iolanthum Nuzzi, canonicum Capituli Metropolitani Barensis, quem deputavit Auxiliarem Emi P. D. Marcelli S. R. E. Card. Mimmi, Episcopi Sabinensis et Mandelensis.

II

NOMINATIO

Decreto die 18 Maii mensis a. 1959 dato, Sacra Congregatio Consistorialis nominavit Excmum P. D. Aloisium Concha, Archiepiscopum Bogotensem, *Vicarium Castrensem Columbiae.*

III

LOJANAE - ZAMORENSIS

DECRETUM

DE FINIUM IMMUTATIONE

Spirituali christifidelium bono in regione vulgo appellata « Cantón Chinchique », ad dioecesim Lojanam pertinente, consulere cupiens, Exc. P. D. Opilius Rossi, Archiepiscopus titularis Ancyranus, cum esset Apostolicus Nuntius in Republica Aequatoriana, praehabitis favorabilibus votis Excmi P. D. Ioannis Mariae Riofrío, Episcopi Lojani, et Capituli cathedralis eiusdem dioecesis, ab Apostolica Sede expostulavit ut territorium praedictae regionis « Cantón Chinchique » a dioecesi Lojana separaretur et Vicariatui Apostolico Zamorensi tribueretur.

SSmus Dominus Noster Ioannes Divina Providentia Pp. XXIII, de consilio infrascripti Cardinalis S. Congregationis Consistorialis a Secre-

tis et Emi Cardinalis Pro-Praefecti S. Congregationis de Propaganda Fide, preces ad Se admotas animabus profuturas censuit benigneque excipiendas decrevit.

Quapropter, suppleto, quatenus opus sit, eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, de plenitudine Apostolicae potestatis integrum territorium, prouti nunc lege civili terminatur, regionis vulgo « Cantón Chinchique » dictae a dioecesi Lojana distrahit et Vicariatui Apostolico Zamorensi perpetuo adsignat cum suis domibus, bonis ecclesiasticis quibuslibet piisque fundationibus, mutatis hac ratione utriusque circumscriptionis ecclesiasticae finibus.

Omnia acta et singula documenta praefatum territorium respicientia a tabulario Curiae Lojanae ad tabularium Curiae Zamorensis, quam primum, transmittantur: ad Clerum vero quod attinet, Sanctitas Sua decernit, ut simul ac praesens Decretum ad effectum deductum fuerit, sacerdotes in memorato territorio beneficium aut officium ecclesiasticum legitime detinentes et clerici legitimum habentes domicilium, Vicariatui Apostolico Zamorensi incardinati maneant.

Ad haec omnia perficienda SSmus Dominus Noster deputare dignatus est Pontificium Administrum qui actu gerit Nuntiaturam Apostolicam in Republica Aequatoriana, eidem necessarias et opportunas tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad S. Congregationem Consistorialem authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Quibus super rebus praesens edi iussit Consistoriale Decretum perinde valiturum ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent.

Datum Roma, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 18 mensis Aprilis anno 1959.

✠ Marcellus Card. Mimmi, Ep. Sabinen. et Mandelen., *a Secretis*

L. ✠ S.

† Iosephus Ferretto, Archiep. tit. Serdicensis, *Adsessor*

IV

PORTALEGRENSIS IN BRASILIA
PASSOFUNDENSIS - CAXIENSIS

DECRETUM

DE MUTATIONE FINIUM DIOECESIUM

Maiori animarum bono consulentes Excmi PP. DD. Alfredus Vincentius Scherer, Archiepiscopus Portalegrensis in Brasilia, Claudius Colling, Episcopus Passofundensis, et Benedictus Zorzi, Episcopus Caxiensis, unanimi consensu ab Apostolica Sede expostulaverunt ut suarum circumscriptionum fines aliquantulum immutarentur et ita aptius disponerentur.

Sacra Congregatio Consistorialis, attento favorabili voto Excmi P. D. Armandi Lombardi, Archiepiscopi tit. Caesariensis Philippi et in Foederatis Brasiliae Civitatibus Apostolici Nuntii, rata huiusmodi immutationes aeternae animarum saluti cessuras, vigore specialium facultatum sibi a SSmo Domino Nostro Ioanne Divina Providentia Pp. XXIII tributarum, oblatis precibus benigne annuere dignata est.

Quapropter, suppleto, quatenus opus sit, eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, praesenti Decreto ab archidioecesi Portalegrensi in Brasilia separat integrum territorium municipii *Mussum* et civilis districtus *Santa Lucia do Piaí,* ad municipium *Caxias do Sul* pertinentis, illudque tribuit dioecesi Caxiensi, ita ut integra territoria praedictorum municipiorum *Mussum* et *Caxias do Sul,* prouti nunc lege civili circumscribuntur, ad dioecesim Caxiensem pertineant. Haec Sacra Congregatio, praeterea, distrahit ab archidioecesi Portalegrensi in Brasilia territorium municipiorum *Guaporé* et *Casca,* necnon civilis districtus *Maria,* ad municipium *Marau* pertinentis, illudque perpetuo dioecesi Passofundensi adnectit, ita ut praefatorum municipiorum *Guaporé, Casca* et *Marau* integra territoria, prouti hodie per legem civilem terminantur, ad dioecesim Passofundensem spectent.

Sacra Congregatio Consistorialis, sic immutatis archidioecesis Portalegrensis in Brasilia et dioecesium Passofundensis et Caxiensis finibus, mandat ut documenta et singula acta quae praefata territoria respiciunt a Curia Portalegrensi in Brasilia ad Curiam dioeceseos, cui illa noviter sunt aggregata, tradantur; ad Clerum vero quod attinet, decernit ut

simul ac praesens Decretum ad effectum deductum fuerit, eo ipso sacerdotes Ecclesiae illi censeantur adscripti, in cuius territorio beneficium aut officium ecclesiasticum legitime detinent; ceteri autem clerici Ecclesiae illi incardinati maneant, in cuius territorio legitimum habent domicilium.

Ad haec omnia exsecutioni mandanda eadem S. Congregatio memoratum Excm̃um P. D. Armandum Lombardi deputare dignata est, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad eandem S. Congregationem, quam primum, authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Quibus super rebus praesens edit Consistoriale Decretum perinde valiturum ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Roma, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 27 mensis Aprilis anno 1959.

✠ MARCELLUS Card. MIMMI, Ep. Sabinen. et Mandelen., *a Secretis*

L. ✠ S.

† Iosephus Ferretto, Archiep. tit. Serdicensis, *Adsessor*

V

ANTEQUERENSIS - TEHUANTEPECENSIS

DECRETUM

DE MUTATIONE FINIUM DIOECESIUM

Maiori animarum bono prospiciens Excm̃us P. D. Aloisius Raimondi, Archiepiscopus titularis Tarsensis et in Republica Mexicana Apostolicus Delegatus, ab Apostolica Sede expostulavit ut pars territorii civilium districtuum vulgo *Yautepec, Mixes* et *Choápam,* intra fines archidioecesis Antequerensis exstans, ab eadem archidioecesi seiungeretur et dioecesi Tehuantepecensi adnecteretur, ita quidem ut ecclesiastici cum civilibus conveniant limitibus.

Sacra Congregatio Consistorialis, attentis favorabilibus votis Excellentissimorum PP. DD. Furtini Gómez León, Archiepiscopi Antequerensis et Iesu Villareal Fierro, Episcopi Tehuantepecensis, vigore specialium facultatum sibi a SSm̃o Domino Nostro Ioanne Divina Provi-

dentia Pp. XXIII tributarum, oblatis precibus benigne annuendum censuit.

Quapropter, suppleto, quatenus opus sit, eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, ab archidioecesi Antequerensi separat universam quam diximus partem territorii civilium districtuum vulgo *Yautepec, Mixes* et *Choápam* nuncupatorum ipsamque dioecesi Tehuantepecensi perpetuo adnectit, mutatis hac ratione utriusque circumscriptionis ecclesiasticae finibus.

Decernit insuper ut Clerici in memorato territorio legitimum habentes domicilium, statim ac praesens decretum in exsecutionem deductum fuerit, dioecesi Tehuantepecensi censeantur adscripti; ac pariter ut omnia acta et documenta clericos, fideles et bona temporalia eiusdem territorii respicientia, quam primum fieri poterit, a Curia Antequerensi ad Curiam Tehuantepecensem transmittantur.

Ad haec omnia exsecutioni mandanda eadem Sacra Congregatio Consistorialis memoratum Excm̃um P. D. Aloisium Raimondi deputat, necessarias et opportunas eidem tribuens facultates etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito ad Sacram Congregationem Consistorialem, cum primum fas erit, authenticum exemplar actus peractae exsecutionis remittendi.

Quibus super rebus praesens edi iussit Consistoriale Decretum perinde valiturum ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae forent.

Datum Roma, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 23 mensis Maii anno 1959.

✠ MARCELLUS Card. MIMMI, Ep. Sabinen. et Mandelen., *a Secretis*

L. ✠ S.

Ernestus Civardi, *Substitutus*

S. CONGREGATIO DE PROPAGANDA FIDE

I

PROVISIO ECCLESIARUM

Sanctissimus Dominus Noster Ioannes, Divina Providentia Pp. XXIII, singulas quae sequuntur Ecclesias de novo Pastore dignatus est providere, nimirum:

die 12 Februarii 1959. — Titulari episcopali Ecclesiae Octabensi praefecit R. D. Michaëlem Kien Samophithak, e clero saeculari indigena, quem constituit Vicarium Apostolicum Tharensem.

die 5 Martii. — Titulari episcopali Ecclesiae Arcistenae R. P. Paulum Piché, e Congregatione Missionariorum Oblatorum B. Mariae Virg. Immaculatae, quem constituit Vicarium Apostolicum Mackenzieensem.

die 17 Martii. — Titulari episcopali Ecclesiae Justinianopolitanae in Galatia R. D. Petrum Pham Tan, e clero saeculari indigena, quem constituit Coadiutorem cum iure successionis Excmi P. D. Aloisii de Cooman, Vicarii Apostolici de Than-hoa.

die 9 Aprilis. — Cathedrali Ecclesiae Tsiroanomandidyensi, noviter erectae, R. P. Angelum Martínez, Ordinis SSmae Trinitatis redemptionis captivorum.

die 25 Aprilis. — Titulari episcopali Ecclesiae Lebediensi R. D. Iosephum Nkongolo, e clero saeculari indigena, quem constituit Vicarium Apostolicum noviter erecti Vicariatus Apostolici Luebaënsis.

— Cathedrali Ecclesiae Nzerekoreensi, noviter erectae, R. P. Eugenium Maillat, e Societate Missionariorum Africae.

— Cathedrali Ecclesiae Tulearensi R. P. Michaëlem Canonne, ex Augustinianis ab Assumptione.

— Titulari archiepiscopali Ecclesiae Gabalensi R. P. D. Vivianum Antonium Dyer, e clero saeculari indigena, Protonotarium Apostolicum « ad instar », quem constituit Coadiutorem cum iure successionis Excmi P. D. Ferdinandi Périer, Archiepiscopi Calcuttensis.

die 14 Maii. — Metropolitanae Ecclesiae Nagasakiensi, noviter erectae, Exc. P. D. Paulum Aijiro Yamaguchi, hactenus Episcopum Nagasakiensem.

— Cathedrali Ecclesiae Mouilaënsi, noviter erectae, R. D. Raymundum Lamoureyre, e Congregatione S. Spiritus.

die 15 Maii. — Titulari episcopali Ecclesiae Abaradirensi Exc. P. D. Iosephum Byrne, hactenus Episcopum Moshiensem.

— Titulari archiepiscopali Ecclesiae Lemnensi Exc. P. D. Gulielmum Thomam Porter, e Societate Missionum ad Afros, hactenus Archiepiscopum Litoris Capitis.

die 21 Maii. — Titulari episcopali Ecclesiae Coelianensi R. P. Franciscum Janssen, e Congregatione Missionis, quem constituit Vicarium Apostolicum Gimmaënsem.

II

NOMINATIONES

Decretis, ut infra datis, Sacra Congregatio de Propaganda Fide ad suum beneplacitum renuntiavit:

die 23 Ianuarii 1959. — R. P. Albertum Zambrano Palacios, O. F. M., *Praefectum Apostolicum Canelosensem.*

die 3 Aprilis. — R. P. Firminum a Catherina, O. F. M. Cap., *Praefectum Apostolicum Mendensem.*

die 24 Aprilis. — R. P. Urbanum Murphy, C. P., *Praefectum Apostolicum noviter erectae Praefecturae Apostolicae Bechuanalandensis.*

III

DELHIENSIS

DECRETUM

ARCHIDIOECESIS DELHIENSIS ET SIMLENSIS DEINCEPS « DELHIENSIS » TANTUM APPELLABITUR.

Cum per Decretum, hodierna die ab hoc Sacro Dicasterio datum, pars territorii ab archidioecesi Delhiensi et Simlensi distracta fuerit, ut nova dioecesis Simlensis constitueretur, nomen eiusdem archidioecesis Delhiensis et Simlensis ita mutandum visum est, ut deinceps, appellatione Simlensi seposita, archidioecesis Delhiensis tantum vocaretur.

Quam propositionem Sacra Congregatio de Propaganda Fide, vigore facultatum sibi a SSmo D. N. Ioanne Divina Providentia Papa XXIII concessarum, adprobavit ac praesens ad rem Decretum confici iussit.

Datum Roma, ex Aedibus Sacrae Congregationis de Propaganda Fide, die 4 mensis Iunii a. D. 1959.

G. P. Card. AGAGIANIAN, *Pro-Praefectus*

L. ✠ S.

C. Corvo, *Subsecretarius*

IV

BELLARYENSIS
NELLORENSIS - HYDERABADENSIS

DECRETUM
DE MUTATIONE FINIUM DIOECESIUM

Cum maior pars territorii dioecesis Bellaryensis in Statu de Mysore extendatur, « taluks » seu divisionibus districtuum administrativis de Raydrug, Adoni, Alur, Alumpur, Gadwal, Tandur et Godangal exceptis, qui ad Statum de Andhra Pradesh pertinent, Excmus P. D. Ioannes Forest Hogan expostulavit ut tres ex istis « taluks », nempe Raydrug, Adoni et Alur ad dioecesim Nellorensem et reliquae quattuor, videlicet Alumpur, Gadwal, Tandur et Godangal ad archidioecesim Hyderabadensem unirentur; quae ambae circumscriptiones ecclesiasticae in Statu de Andhra Pradesh comprehenduntur.

